

## CASUS IX.

## PUELLA APUD MONACHOS VOVENS.

ARSENUS, Sacerdos, cupit aliquem Monachorum Ordinem ingredi; et neptem habet decem annos natam, utroque parente orbatam, quam desere nolle. Mirum ac singulare capessit propositum, ut tum sibi, tum puerulæ consulat. Neptem virili veste indutam secum abducit in monasterium, rogans ut junior hic hospes etiam reciperetur. Puer, ut ab omnibus putabatur, assiduis patrui curis non mediocriter in doctrina et sapientia crevit, ita ut, annis quinque elapsis, cum tyronibus admissus fuerit, et anno sequenti cum nonnullis aliis Novitiis vota solemnia nuncupaverit. Interea tamen anxietate premitur ARSENUS, pertimescens ne fraus sua tandem detegatur. Quare obtenta Superioris licentia, ad tempus e monasterio egreditur, neptem abducens, eamque matrimonio jungit, et solus Religionem repetit, poenitentiam de iniqua fraude peracturus.

HINC :

- QUÆR. 1º An Professio puerulæ apud viros valida fuerit?  
 2º An validum fuerit ejusdem matrimonium?  
 3º An neptis et patruus censuras incurrerint?

SOLUTIO :

949. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Controversia olim agitabatur hac de re inter Theologos. Affirmabant alii validam esse hujusmodi Professionem, quia, aiebant, circumstantia sexus est quid mere accidentale. Si hæc circumstantia detegatur, amovenda quidem erit puella a cœnobio virorum, sed in cœtu Monialium collocanda, quin Professionem renovare debeat. Ita S. Antoninus, etc. Alii vero negabant, quia hoc institutioni Ecclesiæ omnino repugnat, et est periculis plenum. Ita Glossa, etc. Comitolus vero qui casum exhibet, auctoritatesque hinc et inde refert, opinatur validam fuisse hujusmodi Professionem ante Decretum Clementis VIII, quo severe id prohibetur; secus post editum hoc Decretum. V. Comit. Resp. mor. lib. 2, quæst. 8. Hodie igitur jam non datur ambigendi locus. A tempore enim Clementis VIII, talis Professio ut plane irrita habenda est. Sed vix intellegitur quare unquam valida fuisset. Etenim, præter solidas rationes a patronis secundæ sententiæ adductas, hæc addi potest: ad validitatem religiosæ Professionis requiritur consensus Superioris, juxta omnes: sed in casu consensus ille est plane erroneus: non censetur enim dare consensum suum, nisi ad virum inter Monachos cooptandum. Ergo...

950. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. *Affirmative*: sequitur ex dictis. Etenim puella invalide professionem religiosam emisit in monasterio virorum; ergo hæc Professio obstare nequit valori matrimonii subsequentis. Ergo, nullo existente impedimento dirimente, validum est matrimonium.

951. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. *Affirmative*, nisi bona fide aut ignorantia excusat fuerint. Uterque enim incurrit excommunicationem Papæ reservata.

tam propter violationem clausuræ monasterii virorum: neptis quidem clausuram directe violando, et patruus violationi cooperando. Comitolus, lib. 2, quæst. 8.

Objicies fortasse quod neptis excusanda sit ab excommunicatione, ratione ingressus in cœnوبium virorum, propter impubertatem, siquidem annos decem tantum numerabat quando illud ingressa est. Respondebit forte quispiam, impuberes non liberari a censura, ubi agitur de violatione clausuræ Monialium; dicit enim Trid. sess. 25, c. 5, fideles *cujusvis ætatis* incurrire excommunicationem, ob ingressum in conventum Monialium: ergo a pari dicendum idem de violatione clausuræ virorum. Verum non satisfacit illa responsio, quia, ubi agitur de pœnis, non est judicandum a paritate, sed odia sunt restringenda. Accipe igitur responsum aliud: si puerilla subjecta non fuit censuræ ob ingressum in cœtum Monachorum quia tunc impubes erat, eam non effugit, ibidem, adepta pubertate, commorando.

## CASUS X.

## CONSANGUINITAS 1º.

ADAMUS, matrimonium triplex successive, dubia conscientia, contraxit: 1º cum CLAUDINA cuius se consanguineum reputat in quarto gradu, sed quacum de facto in quinto tantum gradu attingente quartum conjungitur; 2º cum CLARA, obscura virgine, filia illegitima consobrini germani patris sui; 3º cum MACRINA, filia BARBARÆ, quæ tempore quo hanc filiam concepit, non tantum cum marito, sed etiam cum ADAMI patruo pluries cohabitavit.

HINC :

- QUÆR. 1º In quali gradu cognatio matrimonium dirimat?  
 2º Quid de triplici matrimonio ADAMI?

SOLUTIO :

952. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Consanguinitas matrimonium dirimit ad 4<sup>m</sup> gradum inclusive. Constat ex Conc. Later. IV, etc. Nec obstat quod consanguinitas ex illegitimis natalibus oriatur, quia illegitimitas non impedit quin carnalis consanguinitas existat. V. Comp. n. 800.

953. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. In primo casu valide contraxit ADAMUS, quia consanguineus est cum CLAUDINA in quinto tantum gradu. Licet enim quintus ille gradus ex una parte attingat quartum, ex altera distant tamen ambo simpliciter a stipite ex quinque gradibus, cum in linea inæquali gradus ex parte remotiori computari debeant. Nec videtur obstare valori matrimonii hujus, defectus consensus sponsorum, qui contrahere putant cum impedimento dirimente; quia volunt contrahere in quantum possunt, et nolunt vivere in mero concubinatu. Lacroix, n. 531. — Recole dicta supra casu 1, de natura matrimonii, ad Quæsitus 3<sup>m</sup>, n. 892.

954. — In secundo casu ADAMUS invalide contraxit, seclusa dispensatione, quia duxit mulierem in tertio gradu consanguinitatis sibi conjunctam.

Ex parte enim ADAMI sunt duo gradus, cum ejus pater sit tantum intermedius ab avo, qui est stipes communis. Ex parte vero CLARÆ, sunt tres gradus, quia sunt tres personæ intermediae, præter stipitem, scilicet : CLARA, ejus pater qui est consobrinus germanus ADAMI, et avus ejusdem CLARÆ, qui est frater patris ADAMI. Cum autem gradus ex linea longiori numerentur, sequitur dari tres gradus a stipite. Ergo ADAMUS et CLARA erant conjuncti in gradu prohibito; ergo invalide contraxerunt: nec obstat quod CLARA sit illegitima, ut supra dictum est.

955. — *In tertio casu* ADAMUS præsumitur valide contraxisse, quia non videtur ligari cum MACRINA ullo consanguinitatis vinculo. Etenim ADAMUS non esset MACRINA consanguineus, nisi quia ea censeretur filia illegitima patrui ADAMI, et proinde consobrina germana ADAMI ipsius. Sed, nisi aliud probent circumstantiæ, in pari casu præsumptio stat pro legitimitate. Secus vero, si maritus BARBARÆ fuisse diu absens eo tempore quo MACRINA concepta est. *Lacroix*, n. 535.

## CASUS XI.

## CONSANGUINITAS 2°.

1º CASIMIRUS, Parochus, audit ex communi rumore CAIUM et CAIAM, qui nuper matrimonium contraxerunt, esse consanguineos. Vocat CAIUM, et ab eo sciscitur an vel quomodo consanguineus sit cum CAIA? Respondet CAIUS : « Sum equidem valde remote; nam pater meus fuit frater proavi uxoris mee. » Sed hæret Parochus anceps, utrum matrimonium illud in gradu prohibito contractum fuerit necne.

2º FLORINA, uxor FLORI, quo tempore concepit FLORINUM filium, rem non semel habuit cum PONTIO. FLORINUS autem octodecim annos natus, cupit uxorem ducere neptem PONTII, quacum, si ex PONTIO sit conceptus, est in secundo gradu consanguineus.

HINC :

QUÆR. 1º An validum fuerit matrimonium CAII et CALE in primo casu?

2º An FLORINUS in secundo casu censeatur a matrimonio impeditus, et an dispensatione Papæ, vel Episcopi egeat?

SOLUTIO :

956. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Non fuit validum, quia CAIUS et CAIA sunt consanguinei in quarto gradu attingente secundum. Sunt quidem duo gradus tantum ex parte CAII; nam, si pater CAII fuit frater proavi CALE, stipes communis seu pater duorum fratrum, a quibus ducuntur lineaæ, est stipes communis: ergo sunt duas personæ tantum, stipite dempto, seu CAIUS et ejus pater; ergo duo gradus. Ex parte autem CALE sunt quatuor gradus; numerandæ enim sunt omnes personæ a CAIA ad ejus proavum inclusive: hæ autem sunt CAIA, pater CALE, avus et proavus ejusdem, seu quatuor personæ, stipite dempto, et proinde quatuor gradus. *Voit*, n. 1282.

957. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* FLORINUS absque difficultate ducere potest neptem PONTII. Non præsumitur enim impediri vinculo consanguinitatis erga puellam: nam, ut censeretur puellæ consanguineus, præsumi deberet ipsum FLORINUM esse PONTII filium. Porro hoc præsumi nequit, quia cum stante matrimonio conceptus sit FLORINUS, ex ipso jure legitimus præsumitur; et etiamsi adesset aliqua præsumptio facti, legitimati adversans, contra præsumptionem juris prævalere non posset. Insuper, in casu, ne præsumptio quidem facti FLORINO adversatur, sed sola suspicio, aut mera dubitatio. Ergo FLORINUS haberi debet ut conceptus ex FLORO; ergo non censeretur impeditus a matrimonio cum nepte PONTII contrahendo. Ergo non indiget dispensatione. *Reuter, Casus, part. 4*, p. 53-54. — *Recole dicta supra in casu 10, n. 955.*

## CASUS XII.

## CONSANGUINITAS 3°.

*Conjuges infideles ad Fidem conversi.*

NICANDER et TECLA, duo infideles, secundo gradu consanguinitatis lineaæ transversæ invicem conjuncti, matrimonium inierunt atque consummabant. Elapso aliquo temporis spatio, NICANDER, a quodam Missionario instructus, christianam Fidem amplexus est, ac Baptismum suscepit. TECLA vero, cum id resciverit, et ipsa ab eodem Sacerdote instrui ac baptizari voluit. Antequam autem mulier sacrum susciperet lavacrum, dubitavit Missionarius utrum post Baptismum uxoris separari deberent, et facultas illis esset ad alias nuptias convolandi, vel an ipsis permittendum esset ut in conjugio remanerent, aut a Papa obtainenda esset solutio matrimonii, vel saltem dispensatio ab impedimento consanguinitatis. His pressus angustiis, ac nesciens quo se verteret bonus Missionarius, baptizata TECLA, conjuges in bona pace reliquit.

HINC :

QUÆR. 1º Quo jure dirimat consanguinitas in variis gradibus?

2º An Papa dissolvere possit matrimonium in infidelitate contractum?

3º An conjuges infideles, in secundo vel inferiori gradu consanguinitatis conjuncti, dispensatione indigeant, si ad Fidem convertantur?

4º Quid vero, si hæretici cum impedimento dirimente Juris ecclesiastici contrahant, et ad veram Fidem convertantur?

5º Quid ad casum?

SOLUTIO :

958. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Consanguinitas certo dirimit matrimonium de jure naturali in primo gradu lineaæ rectæ, tum ob reverentiam a filiis in

genitores essentialiter debitam, tum ob inæqualitatem inter eosdem necessario servandam, et quæ per mutuum conjugii usum destrueretur. *Probabilis* etiam dirimit in cæteris gradibus ejusdem lineæ. Quoad lineam autem collateralem, *controvertitur* utrum consanguinitas matrimonium dirimat de jure natureæ, vel de Jure ecclesiastico tantum, in primo gradu, seu inter fratrem et sororem. In cæteris gradibus ejusdem lineæ certo dirimit tantum de Jure ecclesiastico, ut patet ex praxi Ecclesiæ quæ frequenter in iis dispensat.

959. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Papa non potest quidem dissolvere matrimonium infidelium ante eorum conversionem, licet consummatum non fuerit, quia infideles ipsi non subjacent; sed absolute de gravissima causa dissolvere potest matrimonium eorum qui ad Fidem conversi sunt, si, post Baptismum, matrimonium non consummaverint. Matrimonium enim illud est ad instar matrimonii rati fidelium. Secus vero, si post Baptismum consummatum fuerit. *S. Lig. n. 956, post Bened. XIV.*

960. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* *Nego.* Ratio est, quia infideles non subjiciuntur legibus Ecclesiæ, cum ejus subditi non sint. Ergo infideles valide matrimonium contrahunt, non obstante impedimento de Jure ecclesiastico. Ergo, si convertantur ad Fidem, non indigent dispensatione. Dispensatio enim non requiritur, nisi ad matrimonium revalidandum; atqui matrimonium infidelium est ab initio validum, non obstante impedimento Ecclesiæ, et est indissoluble: ergo non indiget revalidatione; ergo neque conjuges indigent dispensatione. Excipit *S. Lig.*, si conjuges habitent in territorio pontificio, quia omnes incolæ subjici debent omnibus legibus loci, quæ contractus respiciunt. *S. Lig. n. 981. — Lacroix, n. 612.*

961. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæs.* Isti sponsi invalide contrahunt, et debent ad dispensationem pontificiam recurrere. Ratio est, quia hæretici sunt subditi Ecclesiæ, licet rebelles; ergo Ecclesiæ legibus ligantur. *Pontas, verbo Empêchement de parenté, cas. 4. — Collet, Traité des dispenses, l. 1, c. 3.* — Vide dicenda infra, n. 1017 et seq.

962. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quæs.*, seu quid ad casum? Missionarius, relictis aliorum sententiis, duos conjuges prædictos in bona pace relinquere debet, quia sunt conjuncti vero et valido matrimonio, neque ulla dispensatione indigent, cum nullo impedimento dirimente obstringantur, licet secundo gradu consanguinitatis inter se conjungantur. Quid vero, si in primo gradu consanguinitatis versarentur? Standum esset pro valore matrimonii, cum de ejus invaliditate non certo constaret, siquidem controvertitur utrum consanguinitas in primo gradu lineæ transversæ dirimat matrimonium de jure naturali, necne. Valet enim hic applicatio axiomatis: *Post factum, in dubio standum est pro valore actus. Elbel, n. 145.*

### CASUS XIII.

MULIER EJUSDEM VIRI SOROR, FILIA, UXOR!!!

LUDIMILLA, nobilis vidua, fœdo amore JULII proprii filii capta, detegit hunc cubile ancillæ noctu inire. Tum putidum illa propositum efformat.

Ancilla in alium locum sub prætextu quodam missa, in ejus cubili se collat. JULIUS, de matre nihil suspicans, ad famulæ lectum statuta hora accedit, et cum matre horrendum, inscius, patrat incestum. Inde LUDIMILLA efficitur gravida. Interea filius in longinquas terras divertit, atque illic, negotiandi causa, annis quindecim commoratur. Dum JULIUS abest, LUDIMILLA secreto parit filiam, quam nutrici educandam tradit, et postea ut prolem derelictam recipit, domique alit. Domum revertitur JULIUS; pueram jam nobilem cernens, eam adamare incipit. E matre sciscitatur quænam et unde sit? Respondet mater infantem esse miserrima conditione, ac pietatis causa se illius curam suscepisse. Filius, crescente in dies suo erga eam amore, matri denuntiat se eam velle in uxorem ducere. Pernegat mater, ex eo quod hujusmodi conjunctio totam familiam dedecoraret, cum virgo nullis dotibus nullaque nobilitate clara esset. Incassum hæc JULIO obtruduntur, et, invita matre, puellam sibi, matrimonio rite celebrato, copulavit. Nupsit igitur verus ac naturalis pater, germanusque frater, suæ filiæ et germanæ sorori. Per multos annos susceptis liberis conjunctissime vivunt. Mater autem, hujus incestuosi conjugii conscientia, cum diu conscientia stimulos ferre non posset, rem totam Confessario pandit, atque ab eo postulat quid sit faciendum?

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An dispensatio a Papaæ possit obtineri?

2<sup>o</sup> An monendi conjuges ut ab invicem separantur, vel quid in specie facti agendum sit?

SOLUTIO :

963. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* *Neg.* Papa enim dispensare tantum potest in impedimentis quæ sunt de Jure ecclesiastico. Hic autem habetur impedimentum, saltem unum, dirimens *de jure naturali*, scilicet, impedimentum *in primo gradu lineæ rectæ*, seu *inter patrem et filiam*, cum JULIUS uxoris suæ proprius pater fuerit: ergo a potestate ecclesiastica dispensari nequit. Dixi *adesse unum impedimentum dirimens de jure naturali*; nam adjici posset aliud, juxta multos Theologos, scilicet, impedimentum consanguinitatis *in primo gradu lineæ collateralis*, seu *inter fratrem et sororem*, cum JULIUS etiam germanus frater fuerit puellæ quam duxit, quippe quæ ab eadem matre enata est. Sed *controvertitur* inter Theologos, utrum ille gradus primus lineæ transversæ *de jure naturali*, aut *de Jure ecclesiastico* tantum dirimat.

964. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Conjuges non sunt monendi de matrimonii invaliditate, sed in bona fide relinquendi. Ratio est, quia omissione monitionis ex una parte non nocet neque conjugibus, neque proli, et ex alia parte maxima incomoda ex monitione sequerentur. 1<sup>o</sup> Omissione monitionis non nocet conjugibus, quippe qui optima fide copulati sunt, et nunc ignorantia invincibili laborant, et ea semper laboraturi sunt circa matrimonii sui invaliditatem; proinde peccato formalis in usu conjugii carebunt. 2<sup>o</sup> Neque nocet proli; quia proles, ob eamdem bonam fidem, tum de jure civili, tum de Jure ecclesiastico ut legitima habetur nec proinde ullum detri-

mentum ex sua illegitimitate patitur. 3º Maxima incommoda ex monitione sequentur, scilicet, horrenda scandala, odia intestina, familiæ dissensiones, conjugum reciproca abominatio, prolium infelicitas, etc. Insuper conjuges, matri, unico testi, propriam turpititudinem revelanti, fidem præstare non tenerentur. Sed neque ipsa mater infandum crimen patefacere obliganda foret, ut peccata mere materialia filiorum conaretur impedire. Ergo, omnibus hinc et inde perpensis, multo magis præstat ut putatitii conjuges in bona fide relinquantur. *Comitolus, lib. 1, quæst. 112.*

## CASUS XIV.

## COGNATIO SPIRITUALIS 1º.

1º SILVERIUS, conjugatus, adulterio cum LUCIA ancilla sua patrato, problem ex crimine natam, timore infamiæ clam baptizat, et ad fores nosocomii exponit. Mortua autem uxore, matrimonio LUCIAM sibi ducit in uxorem.

2º VITALIS proprium filium, quem habuit ex BERTA uxore sua, baptizat in casu necessitatis. Propterea a Confessario prohibetur ne matrimonio cum uxore utatur, donec ab impedimento cognationis spiritualis dispensetur.

HINC :

QUÆR. 1º *Quomodo contrahatur cognatio spiritualis?*2º *An in casibus propositis contracta fuerit?*

SOLUTIO :

965. — R. ad 1º Quæs. Cognatio spiritualis matrimonium dirimit de Jure ecclesiastico : 1º inter ministrum Sacramenti et subjectum, hujusque genitores; 2º inter patrimum vel matrinam et filiolam vel filiolum, eorumque parentes. Sic ex *Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de Reform.* — V. *Comp. n. 805.*

966. — R. ad 2º Quæs. *In primo casu*, invalidum est matrimonium inter SILVERIUM et LUCIAM ancillam contractum. Etenim SILVERIUS, suam prolem spuriam ex ancilla habitam baptizando, cognationem spiritualem cum eadem ancilla, matre prolis, contraxit. Ergo eamdem in uxorem ducere nequit, siquidem cognatio spiritualis impedimentum dirimens induxit. Nec obstat quod SILVERIUS timore infamiæ egerit, prolem baptizando, quia incommode illud a lege irritante Ecclesiæ excusare nequit. *Elbel, n. 150.*

*In secundo casu*, VITALIS non amisit jus utendi matrimonio. Ratio est, quia amissio illius juris inter conjuges est poena; poena autem sine culpa infligi nequit. Porro VITALIS nullam culpam commisit, providendo æternæ saluti prolis suæ. Ergo usus matrimonii non est ei interdicendus. *Reuter, n. 340.* — S. *Lig. de Baptismo, n. 150.* Imo multi censem, teste *Lacroix, lib. 6, n. 358*, conjuges, etiam extra necessitatem prolem suam baptizantes, non privari usu matrimonii, quia hoc nullibi in jure clare expressum inventur. Hoc probabile dicit *Layman*.

## CASUS XV.

## COGNATIO SPIRITUALIS 2º.

1º COLUMBA, puella, e sacro Baptismatis fonte a TITIO levatur nomine LUCIANI pueri quinquennis. LUCIANUS autem adolescens factus, COLUMBAM ducere statuit, ratus se nullam cum ea contraxisse cognationem, tum quia ipse infantem per se non levavit, tum quia ob ætatis defectum non potuit patrinus esse.

2º CYRILLUS, puer, dum nasceretur, et solum protenderet brachium, propter instans vitæ periculum, in hac parte visibili aqua baptismali abluitur. Feliciter natus, in Ecclesia denuo sub conditione solemniter baptizatur. NILUS autem, ejus patrinus in Baptismo solemni, BERTAM ejus matrem viduam ducere sibi proponit.

HINC :

QUÆR. 1º *An LUCIANUS COLUMBAM ducere possit?*2º *An NILUS matrimonium cum BERTA inire valeat?*

SOLUTIO :

967. — R. ad 1º Quæs. Affirm. Ratio est, quia non sufficit ad cognationem contrahendam ut infans nomine alicujus, ipso inscio, e sacro fonte levetur; sed requiritur ut ille veram intentionem habuerit agendi munus patrini. Porro in casu LUCIANUS quinquennis non præsumitur hanc habuisse intentionem, cum vix aut ne vix quidem usum rationis tunc habuerit. Adde quod hæc intentio in parentibus suppleri non potuit. Ergo LUCIANUS non fuit vere patrinus. Ergo non contraxit cognationem spiritualem cum COLUMBA; ergo eam ducere potest. Non valet autem ratio altera a LUCIANO allata, scilicet, quod ille personaliter munus patrini non egerit; nam, si usu rationis prædictus fuisset, satis erat quod alterum nomine suo constitueret ad locum ejus supplendum. *Elbel, n. 148.*

968. — R. ad 2º Quæs. NILUS BERTAM ducere nequit. Ratio est, quia cum secundus Baptismus, ob defectum prioris, validus esse possit, *probabiliter* NILUS, in hoc secundo Baptismo patrinus, contraxit cognationem spiritualem. Cum autem hæc dirimat matrimonium inter patrimum et matrem baptizati, sequitur quod in hoc casu patrinus, seu NILUS, matrem infantis ducere non possit ob impedimentum dubium cognationis spiritualis. Verum cum agatur de dubio facti, dispensatio episcopalis sufficeret, *juxta dicta supra n. 927 et 928. Vide* alios casus de cognatione spirituali, *supra de Baptismo*, cas. 19 et 20, n. 233 et seq.

## CASUS XVI.

## AFFINITAS 1º.

ALBINUS sponsalibus cum BLANDINA contractis, rem habuit cum CATHARINA, BLANDINÆ consanguinea in secundo et tertio gradu mixto. Nihilo minus BLANDINAM sibi matrimonio conjungit.

Hac vero mortua, dicit AGATHAM, consanguineam in secundo gradu cum CATHARINA, et cum BLANDINA in tertio quartum attingente.

HINC :

- QUÆR. 1º Quomodo contrahatur impedimentum affinitatis?
- 2º An validum fuerit duplex ALBINI conjugium?
- 3º Quid vero, si ALBINUS prius matrimonium non consummasset?

SOLUTIO :

969. — R. ad 1º Quæs. Impedimentum affinitatis contrahitur ex copula carnali, sive licita sive illicita, inter unum ex copulatis et consanguineos alterius, et vice versa. Si proveniat ex copula licita, dirimit matrimonium ad 4º gradum; si vero oriatur ex copula illicita, dirimit ad 2º gradum tantum. V. Comp. n. 810-811.

970. — R. ad 2º Quæs. 1º Valet primum ALBINI matrimonium, seu cum BLANDINA contractum. Ratio est, quia nullum intercedit ibi impedimentum affinitatis. Etenim ALBINUS rem quidem habuit cum CATHARINA, BLANDINÆ consanguinea; sed hæc sanguinis propinquitas habetur tantum in tertio gradu mixto cum secundo, seu in tertio gradu ex una parte et secundo ex altera, id est, ut aiunt, in tertio gradu attingente secundum. Ergo mulieres illæ sunt simpliciter consanguineæ in tertio gradu, cum gradus in linea inæquali, ex parte remotiori a stipite, numerentur. Ergo ALBINUS non est affinis cum BLANDINA, nisi in tertio gradu; atqui affinitas ex copula illicita non dirimit matrimonium, nisi ad secundum gradum: ergo matrimonium ALBINI affinitate non dirimitur. Ergo valet.

971. — 2º Alterum vero ALBINI matrimonium invalidum est, et quidem ex duplice ratione, scilicet, ob impedimentum affinitatis, tum ex copula illicita, tum ex copula licita. 1º Ex copula illicita. Etenim ALBINUS peccavit cum CATHARINA, consanguinea in secundo gradu AGATHÆ, novæ suæ uxoris. Atqui hæc species affinitatis ad 2º gradum dirimit. Ergo jam ex hac parte irritum est novum ALBINI matrimonium. 2º Ex copula licita. Etenim ALBINUS per matrimonium cum BLANDINA consummatum, ut supponitur, contraxit affinitatem cum omnibus consanguineis uxoris. Affinitas autem ex matrimonio, seu ex copula licita proveniens, dirimit ad 4º gradum: ergo dirimit matrimonium ALBINI cum AGATHA, siquidem hæc fuit consanguinea in quarto gradu cum BLANDINA, uxore prima ALBINI. Ergo etiam ex illa parte stat impedimentum; ergo duplex dispensatio a Curia Romana obtainenda est, ad matrimonium illud convalidandum.

972. — R. ad 3º Quæs. In eo casu duplex impedimentum haberetur, scilicet, affinitatis ex copula illicita, uti dictum est, et honestatis publicæ, loco impedimenti affinitatis ex copula licita, et pariter ad 4º gradum dirimentis.

### CASUS XVII.

AFFINITAS 2º.

1º PAULUS uxorem habet BERTAM, et PAULINUS BERTINAM sororem PAULI. Moritur PAULUS simul cum BERTINA. Vidui superstites, solatii causa, nuptias inter se ineunt. Mortua autem nova uxore, BERTA scilicet, PAULINUS sponsalia contrahit cum SYLVIA quacum peccat, et hac neglecta, matrimonium cum MARTHA, sorore SYLVÆ, contrahit.

2º GASPARUS matrimonium contrahit cum ANGELA. GASPARINUS, GASPARI frater, interveniendo nuptiis, amore capitur ANGELINÆ, ANGELÆ sorore, eique paulo post nuptiarum födere jungitur. Anxius autem postea de matrimonii sui valore dubitat.

HINC :

- QUÆR. 1º Quid de dupli matrimonio PAULINI in primo casu?
- 2º An valide contrixerit GASPARINUS in secundo casu; et an pater et filius ducere possint simul matrem et filiam; aut filius matrem, pater vero filiam?

SOLUTIO :

973. — R. ad 1º Quæs. Valet absque dubio matrimonium viduorum, seu PAULINI cum BERTA: nullum enim obstat impedimentum affinitatis. Nam nova uxor BERTA non erat BERTINÆ, prioris sponsæ PAULINI, consanguinea: ergo PAULINUS non fuit cum ea affinis. Ergo nullo laborat impedimento. Nec refert quod PAULINUS affinis fuerit PAULO, utpote matritus sororis PAULI; nam affinitas non parit affinitatem.

2º Irritum autem est ultimum matrimonium PAULINI cum Martha, et quidem ex duplice ratione, scilicet: 1º ex impedimento affinitatis; quia PAULINUS peccando cum SYLVIA, sorore MARTHÆ, cum eadem MARTHA contraxit affinitatem; 2º ex impedimento publicæ honestatis, exerto ex sponsalibus contractis cum SYLVIA, sorore MARTHÆ. Ergo ex duplice impedimento irritum est illud connubium. Sed neque PAULINUS redire potest ad SYLVIAM absque dispensatione, si matrimonium consummatum cum MARTHA, quia, per illam consummationem, affinitatem cum eadem SYLVIA contraxit.

974. — R. ad 2º Quæs. Valet matrimonium GASPARINI cum ANGELINA contractum, quia nullum est impedimentum affinitatis; etenim GASPARUS quidem matrimonium ineundo, et illud consummando, affinitatem contraxit cum omnibus consanguineis ANGELÆ, uxoris suæ, et consequenter cum ANGELINA, ANGELÆ sorore. Sed ipse GASPARINUS, GASPARI frater, nullam contraxit affinitatem cum ANGELINA. Affinitas enim non parit affinitatem. Nam, ad affinitatem contrahendam, intercedere debet copula carnalis ex parte unius e sponsis, per quam fit affinis consanguineis alterius quocum copulam habuit. Atqui in casu nulla intercessit copula, neque ex parte GASPARINI neque ex parte ANGELINÆ cum aliquo consanguineo alterutrius: ergo nullam contrixerunt affinitatem. Ergo valet eorum matrimonium. Ergo duo fratres ducere possunt duas sorores. Ergo pater et filius ducere possunt matrem et filiam, vel pater filiam et filius matrem.